

522. — Sed in his, temporibus nostris nimis frequentibus adiunctis, quae ratio a Pastore servanda sit, paucis, sic accipe:

a) Nullo modo nullaque ratione ad hoc incitet, sed ut pacifica ac communia suasionis media, in primis et ante omnia, amice experiantur, operariis suadeat. Si vero rogatus, dum circumstantiae sinunt, ad hoc operam suam impendat, qua utriusque contententis partis iura ac debita insimul componendo, mutuas concessionem hinc inde postulabit.

b) Si vero pacificae hae industriae ad nihilum redigantur, a coeteris omnibus tam diligenter se abstineat, ut neque incitatoris, neque ductoris partes in operistitium ullo modo habeat, nec de hoc suspicionem suam in gregem inducat<sup>1</sup>.

c) Operistitio, autem, perdurante, tranquillitatem ac ordinem adeo omnibus inculcet ut pacis minister a cunctis habeatur.

d) Si vero ad protestatarios intra ordinis limites continendos, a civili potestate eius opera postuletur, ac eo magis, ad contententes conciliandos arbitri pars ipsi demandetur, dummodo quae ab operariis exiguntur iusta appareant, conciliationis spes arrideat, ex utraque parte tanta gaudeat fiducia ut omnino libere quae recta ac opportuna sibi videntur decernere ipse possit, ac pactorum observantiam in tuto esse praevideat, paternum hoc officium fidelibus suis aequae ac prudentissime Pastorem praestare posse ambiget nemo. Tunc vero quae primo in commate recolimus prae oculis ipse habeat; mutuis, enim, tantum concessionibus, has contentiones componi posse experientia docet.

e) Semper autem ac omnibus in adiunctis ut dominorum vindicationis [*serrata, look-out*] periculum [quo operariorum familiae in miserrimam indigentiam incidunt] arceatur, impense Pastor satagat.

523. — De capsis ruralibus [*casse rurali, caisses rurales*] ac mensis argentariis [*banques, banche*] et similibus constituendis regendisque quod attinet [quibus ab usurariorum unguibus operarii rapiuntur] eorum practica utilitas, a complurimis comprobata decenniis, in comperto est. Ad rem SS. Dominus Noster Pius PP. X,

I. hortatur praecipitque ut clerus hisce institutis [*arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales*] condendis, tuendis augendisque operam ac consilium impendant;

II. Omnino prohibet ne sacri ordinis viri sive saeculares, sive regulares, munia illa exerceant, suscipiant, retineantve suscepta quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similibus.

<sup>1</sup> Cfr. Godts, *Op. et loc. cit.*

III. Statuit ac decernit SS. D. Noster ut nemo e clericis omnibus in posterum id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus<sup>1</sup>.

Quarum ordinationum providentiam, omnes qui illud Apostoli considerantes: *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ut ei placeat*<sup>2</sup>, ac quantum aes contrectare alienum periculosissimum sit norunt, numquam satius laudabunt. Haec, enim, *non tantum* [Parochos] *a suae conditionis ac dignitatis officiis abducunt, et terrenis negotiis implicant, sed et sollicitudinibus, studiis periculisque his rebus semper inhaerentibus, obnoxios faciunt*<sup>3</sup>. Quin immo, ecclesiastici viri circa vaferimas huius mundi tricas [ut plurimum] minime, vel saltem non satis experti, in versutorum laqueos facillime incidunt, ex quibus [ecclesiastica attenta condicione] perquam aegre ac nonnisi cum aliquo fidelium scandalo vel saltem suspicione, sese extricare possunt. Qui itaque [sit conclusionis ergo dictum] ementes ac vendentes, quos [facto de funiculo triplici flagello] Servator Noster e tempo eiecit, in Dei domos [ut paroeciae haberi possunt] haud inducere intendunt, quidquid mercaturam, vel nummularia sapit ab ipsis arcere contendunt, ne [prophanatione hac] quae Dei ac animarum spiritualia emolumenta sunt, funditus irreparabiliterque pessumdent. *Nolite, igitur, contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis*<sup>4</sup>. — Ubi vero aliquod in re peculiare indultum a S. Sede obtentum fuerit, tunc quae, de temporali paroeciae administratione principia ac praxi mox recolemus, prae oculis habeantur, ac sedulo ad praxim deducantur. Nil, enim, [ut diximus] periculosius quam alienam contrectare pecuniam.

524. — Quamvis de tum ad municipales, tum ad politicas electiones adsciscendis inscribendisque electoribus Pastoris haud sit, attamen ut, occasione data, hanc praeparationem ac curam fidelibus opportune ac in tempore urgeat, omnino pernecessarium est<sup>5</sup>. Secus, enim, praecipuis catholici belli armis fideles carentes, quae propria civilia in societate sunt iura, inimicorum Crucis Christi arbitrio, omnino iniuste perniciosissimeque immolarent. Quapropter:

a) *Ut actuositas illa quae ad administrativam comparandam ac exercendam vitam in laudabilem iam usum venit, et ad civilia in re etiam politica exercenda iura apte paretur et efficiatur, plurimum re-*

<sup>1</sup> Decret S.C. Consist. 18 nov. 1910.

<sup>2</sup> II *Timoth.* II, 4.

<sup>3</sup> S. C. Consist. cit.

<sup>4</sup> *Levitic.* XI, 43.

<sup>5</sup> Cfr. Leo XIII *Enycl. De praecipuis civium christianorum officiis*, 10 jan. 1890. — Cfr. indic. alphab. *Electiones*.

*fert*<sup>1</sup>. Si, enim, super societatis malis orare ac lugere bonum, attamen impense adlaborare ut praesentia minuantur ac futura caveantur, adeo catholicorum omnium est ut qui hoc conscientiae munus negligant, catholicum nomen in vacuum teneant.

b) In his vero qui ad tum municipii, tum deputatorum conventus accedere debeant deligendis, *sacrosancta principia quibus genuini catholici conscientia regi debet insequi oportet. Quapropter cum ad publica munia quis accedit, ut in primis et ante omnia se esse ac se haberi uti genuinum catholicum decet meminerit, ac ita se gerat ut dum sociale ac oeconomicum Patriae ac praesertim populi bonum exacte, iuxta christianae civilitatis principia tuetur, quae et religionis et iustitiae sunt servet omnino pernecessarium*<sup>2</sup>. His, itaque, tantum suffragium praebendum, coeteris vero [nisi peculiaris ratio accedat] denegandum prorsus est.

c) Ad politicas in Italia electiones quod refert, conditiones ab Apostolica Sede praefinitas pluries recolimus, et quae in re practica agendi ratio servanda sit jam innuimus<sup>3</sup>.

525. — Et de operariorum opificiis pauca addere haud superfluum erit, quae omnia huc redeunt ut, in quantum fieri potest, una cum humanae iustitiae leges, et Dei ac Ecclesiae praeceptis saltem minus quoad fieri potest, in discrimen, inibi adducantur. Idcirco:

a) Cuiuscumque Operariorum consociationes generis condantur ac sedulo foveantur<sup>3</sup>.

b) Bonam cum opificiorum Moderatoribus relationem Pastor ineat ac sedulo custodiat, qua [in Dei laudem ac gloriam] plura faciliusque ipse assequetur. Nil, igitur, agat vel promat, quo opificum fastidiosa sensa excitari possint; in iustis, vero, eos defendat; in coeteris, nisi conscientia urgeat, Pastor sileat. Operarios, enim, qui numquam contenti, dominos carpunt, ubique haberi certum est.

c) Ut in opificio, diversi ab invicem separentur sexus suadeat, quod si fieri non possit, ut adeo saltem invigiletur ut operariorum mores, in tuto inibi sint curabit, quod et coeteris omnibus quibus interest prudenter suadebit.

d) Festorum observantiae inibi consulet Pastor, quod si generales vel peculiare, necessarias ac congruentes in re dispensationes in tempore praebabit, facilius assequetur. Sed de hoc diximus.

<sup>1</sup> SS. D. N. Pius PP. X. Encycl. II *fermo proposito*, 11 jun. 1906.

<sup>2</sup> Cfr. Indic. alphabetic., *Electiones, Politica*; S. Poenitent., 19 dec. 1860, 20 febr. 1867, 30 jul. 1866.

<sup>3</sup> Cfr. SS. D. N. Pius PP., X epist. ad *Fr. Schol. Christian.*, 15 april. 1909; *Deliberat. Episcoporum Longobard.*, 1901; *Eorund. epist.* 6 jun. 1896.

526. — Tandem et de catholico, uti aiunt, feminismo haud omnino silendum est, in quo quamvis peculiaria S. Sedis documenta desint<sup>1</sup>, attamen quanti in praxi eum faciat, ex peculiari huius Consociationis constitutione satis superque evincitur. Eius generalis finis [ut diximus] totum in eo est ut quae *Popularis Unio* hominibus praestat, mulieribus ipsa impendat. Ad rem:

a) SS. D. N. Pius PP. X in Vaticanis aedibus socias in unum nuperrime congregatas, ita adhortatus est: *Actio vestra* [SS. Pontificis verba bene teneantur] *tota in eo est ut, religiosae institutionis propagatione mediante, vestram religiosam missionem adimpleatis; quod, quum quae conspiciuntur et quae operantur, quam quae dicuntur, utiliores extent, practico, praesertim, exemplo praestare debetis. Caritatis apostolatus deinde sequatur, quod multipliciter assequi potest, et non cum indigentibus tantum, sed, et eo magis, cum his qui, a recto deviando tramite, veritatis verbis, quae a christianae mulieris ore prolata miracula patrant, ut, ad bonam se recipiant frugem, indigent. Tandem sacrificii apostolatum praestare debetis, quae christianae mulieri recolere vix necessarium ducimus*<sup>2</sup>.

b) Hisce studentes monitis, catholicae actionis Supremo Moderatoribus sequentia pro Italia nuperrime edixere, quae et caeteris Gentibus omnibus recoluisse iuvabit: *Ut magis magisque in consociatis vivificetur pietas ac in hodiernis quaestionibus earum intellectualis et moralis institutio [recta ratione] efformetur, Catholicarum Mulierum Sodalitatis munus continetur. Ut, insuper, tum individuali, tum collectiva sociarum cooperatione, complurima pietatis, beneficentiae, culturae et [generatim] catholicae actionis opera omnia augmentum capiant, ac, praesertim, variis femineis societatis coetibus, catechismum sollerter tradant, earum erit*<sup>3</sup>.

c) In his, igitur, Catholicarum Mulierum Consociationibus erigendis dirigendisque haec apostolica monita prae oculis habere et ipsis indesinenter studere Pastores oportet, ne, a legitimo deviando itinere, in ipsis quoque, sub catholico sancto nomine, socialistarum mores ac studia invehantur; quod in feminis eo magis quam in viris sibi periculosius ac fidelibus scandalosius esse, ambiget nemo.

d) Insuper illud mente ne excidat, feminam aestimationem sibi debitam asservare non posse, nisi morales ei proprias praero-

<sup>1</sup> Cfr. Epist. Segret. Stat. ad *Ioseph. Tonio*, 30 jun. 1909.

<sup>2</sup> *Allocutio*, die 8 januar. 1912. — Cfr. *deliberat. Episcoporum Longobard.*, 1905

et *Eorund. Epist.*, 15 august. 1901 et notif. ad cler. 1911.

<sup>3</sup> Epistola collectiv. 17 mart. 1912.

gativas, [altissimas illas ac pretiosissimas] religiose servaverit: videlicet suavitatem, patientiam, pietatem maternam, amplissima acceptatione intellectam, qua profecto ad sacrificium sui forte ac nobile usque paretur. Quidquid, igitur, has praerogativas augere natum est, sive studium, sive opera, sive actio quaevis, probandum et excolendum: quidquid hisce contrarium invenitur, abhorrendum prorsus. At vero id fieri nequaquam poterit nisi *sensa revera christiana*, quibus nempe et *mulier timens Dominum ipsa laudabitur*<sup>1</sup>, altas in animo radices figerint. Quaestio propterea quae dicitur feminilis, reipsa quaestio religiosa est: nam in sola christiana religione, quae mulieris dignitatem evexit, in qua et Mater Dei et Mater Ecclesia honorantur, huiusmodi quaestio mirum in modum solutionem suam undequaque perfectam accepit, docente quidem Apostolo: *neque vir sine muliere neque mulier sine viro, nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem, omnia autem ex Deo*<sup>2</sup>.

e) Quapropter, quotquot ex feminis emancipationem hodie sibi vindicant asseruntque, revera, non modo ad impossibile nituntur, sed ad adeo impossibile, ut, si umquam illud fieri posset, in ipsarum perditionem et ruinam, utpote contra naturalem femineam indolem, omnino cederet. Si vero huiusmodi emancipationis nomine, quemdam altioris culturae intellectualis gradum intelligas ad quem feminae contendunt, profecto non modo Ecclesia id non prohibet, sed et impense jamdudum fovit fovetque, dummodo tamen hic ad intellectualem culturam conatus, propriam femineam actuosam missionem haud pessumdet. Heic quoque, enim, S. Bernardi illud recolendum: *tantum lucere vanum, tantum ardere parum; ardere et lucere perfectum*<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Prov. XXI, 30.

<sup>2</sup> I Corinth. XI, 11 et 12.

<sup>3</sup> Sermo in Nativit. S. Joann. Baptist.

## IV.

## Quoad temporalem Paroeciae administrationem.

## CAP. I.

## DE IPSA IN GENERE ET IN SPECIE

Ad temporalis Paroeciae administrationem breviter agendam propositi nostri ratio [quam iam palam professi sumus in huius alterius partis limine ineundo] nos adducit. Ceterum, ne tam practicam ac utilem pastoralis regiminis partem silentio praetereamus, ipsum rei momentum non sinit. Et hoc ipsum momentum paucis inchoaturi proponemus; deinde vero de normis ad rem practicas ac mediis, quanta instituto nostro pastoralique regimini opportuna erunt, tum juxta canones, tum pastorem theologiam juxta, id quod satis indigitabimus.

## Articulus I.

## DE TEMPORALI PAROECIAE ADMINISTRATIONE IN GENERE.

## § I. — De huius gestionis necessitate ac momento, et ad rem generales industriae.

SUMMAE RERUM. — 527. De aptae temporalis Paroeciae administrationis necessitate ac momento — 528. Tum pro privata ac personali, tum pro publica ac pastoralis Paroeci administratione prudentiales industriae — 529. De testamento a Pastore condendo, et ad rem normae.

527. — Fidelis et prudentis oeconomicae rei gestionis necessitas, quum de societate agimus per seipsam intelligitur. Intima, etenim, illa quae corporis cum animo necessitudo est, prout in singulis hominibus pulcherrimam ac validissimam animam vigere, elucescere, nec fortasse vivere in corpore deformi haud sano ac in necessariis quoque deficienti non sinit, ita quoque in hominum societate, spiritualem quamlibet utilitatem percipere, si congruis commodis ac sibi sufficienti facultate non fruatur, nec permittit. Quod si aperto constat de quocumque societatis genere, dummodo humanum sit, magis ac magis in ecclesiasticis apparet, quae,